

## SIMILIVM SYLLOGARVM FRAGMENTA

## ET INSCRIPTIONES VETERES EXTRA SYLLOGAS SINGILLATIM DESCRIPTAE

## 1. CIVIS GENERIS FRAGMENTA ET TITVLI HOC LOCO RECENSEANTVR.

Antiquissimae syllogae supra recensitae et earum quae perierunt indicia declarant ethnicarum pariter ac Christianarum inscriptionum libellos non uni aut alteri, sed pluribus a saeculo fere sexto vel septimo ad decimum ita placuisse, ut huiusmodi libellorum compilationes extiterint variae et exempla sint multiplicata. Quare quae in eius et proxime sequentis aetatis codicibus occurrunt veterum titulorum apographa librorum tegumentis et vacuis chartarum spatiis inscripta, ea excerpta et fragmenta plerumque sunt e syllogis deperditis; nisi peculiari fortasse de causa ex ipsis lapidibus fuerint singillatim petita. Utriusque generis exempla, quorum nunc mihi copia est, recensebo. Excerpta vero e libellis epigraphicis et topographicis aedium sacrarum monumentorumque Christianorum vel e carminum anthologiis ad alterum et tertium huius seriei caput pertinent; ideoque hoc loco omittuntur.

## 2. FRAGMENTVM E CODICE LVGD. BAT. VOSSIANO LAT. Q. 101.

Codex Lugduno-Batauus Latinus e bibliotheca Vossiana Q. 101 continet Trogi Pompeii historiarum Philippicarum libros XLIII a Justino in epitomen redactos; scriptus est saeculo fere XI. Folio ultimo 136' post: POMPEI TROGI LIB XLIII EXPL FELICIT AM, media pagina, alia manu eiusdem aetatis, qua totus codex, descripti sunt tituli duo, alterum Vespasiani Augusti, alterum privati hominis male conglutinati; loci indicium nullum. Hanc appendicem ab historici operis, cui subiecta est, argumento prorsus alienam edidit Abr. Gronovius in Iustini Hist. Philippicarum volumine typis impresso anno 1760, f. 136'. Fr. Ruehl, Vossiano Iustini codice denuo examinato<sup>1</sup>, epigraphicae appendicis apographum ad Henzenum misit; isque alteram ab altera recte separatas inscriptiones posuit in C. I. L. VI n. 939, 3518. Ludovicus Duchesne a me rogatus, ut codicem attentius inspiceret, de eo accuratissime rettulit et membranacei folii laevum marginem partim lacerum, partim delitium delineavit: quare huius epigraphici fragmenti exemplum perita manu factum exhibeo, suppletis quae perierunt in v. 1-4.

imp C. vespasianus . pontifex maximus . tribunicię po  
testatis imp . VII . pater patriae . constituit destinavit facien  
dam curavit . Q . fabio . Q . f . Gal . blando . tribuno . milit .

le gionis . III . macedonice . & legionis . x . gemin . iulia .

|||||ris uxor ex pecunia que ei legata est ad

|||||ndum communem . sibi & viro suo

<sup>1</sup> V. Ruehl, *Die Textesquellen des Justinus*, Leipzig 1872 in *Supplement band. d. Jahrb. f. class. Philol.* VI Heft I p. 11.

Prior titulus, ab Henzeno restitutus, demonstrat veteres notas facile detritas eius qui lapidem vidit arbitrio refectas esse et expletas. Henzenus emendavit: IMP · CAES · etc. TRIB · POTEST · II · IMP · VII · P · P · COS · II · DES · III etc. Animadvertendum tamen censeo huius tituli formulam eam esse, quae in columnis miliaris, saeculo praesertim primo exeunte, adhibita est (vide C. I. L. X, 6822, 6825, 6827-29, 6832, 6859, 6861, 6873); Vespasianum vero Appiae viae columnas renovasse anno 76, quum esset IMP · XVII CENSOR COS · VII DESIGN · VIII. Hae notae in lapidibus saepe detritae pravae lectioni *constituit, destinavit* melius quadrant, quam *cos. II des. III*. Quare titulum miliarium esse certo iudico; eumque Appiae viae et anno 76 restituendum verisimile existimo, emendans IMP · (X)VII · CENSOR · COS · VII · DESIGN · VIII. Alterius tituli melior lectio est. In eo Henzenus nomen uxoris coniectura explevit IVLIA *pie*RIS. Duchesni vero fidele apographum docet quatuordecim fere litteras ea lacuna periisse: nobilis femina patrem ciere non neglexit, et vel polyonyma fuit vel (*frat*)ris uxor. Versus ultimi in C. I. L. proponuntur sic: AD *faci*ENDVM · COMMVNEM · SIBI · ET · VIRO · SVO · locum. At litterae fere viginti inter AD et . . . . NDVM desiderantur; et in verbis *sibi et viro suo* titulus desinit. Quo loco monumentum hoc fuerit, prior inscriptio indicat; via, nempe, publica, facile suburbana; opinor, Appia. Qui tam diversi argumenta titulos in unum compegit, ipsos lapides minime videtur inspexisse: sed alterius codicis exemplum et amplioris fortasse syllogae fragmentum descripsit.

3. FRAGMENTVM BASILEENSE. In bibliotheca Basileensi membranae libris contegendis olim adhibitae, quae veterum codicum fragmenta erant, proximis annis sepositae sunt. Inter has repertum est folium utrinque scriptum manu saeculi fere noni vel decimi, unde Ad. Kiessling a. 1863 edidit magnam partem testamenti descripti e monumento sito territorio Lingonensi<sup>1</sup>. Ipsam membranam contuli cum Kiesslingi editione, quam ad veteris scripturae fidem exactam agnovi. Quare ab ea repetenda abstineo. Apographum non a lapide, sed ab antiquiore exemplo pendet: cum quo prima itemque altera manus illud attente collatum pluribus locis emendavit. Verisimile est in archetypo codice una cum hoc testamento alios descriptos fuisse titulos pari studio e

<sup>1</sup> Anecdota Basileensia I, Basel 1863; cf. *Bull. d'arch. crit.* 1863 p. 94, 95, 1864 p. 25 et seqq., *Revue arch.* 1864 fasc. VII, VIII. Huebner in *Ann. dell' Ist. arch.* 1864 p. 200 et seqq.; Montanari *Discorso storico-legale intorno ad un testamento romano* (ex *Giorn. Arc.* N. S. t. XLI) Roma 1865; Bacofen in *Bull. dell' Ist.* 1867 p. 6 et seqq. aliique.

lapidibus exceptos. Utcumque ea res fuerit, tam pro-  
 neque captu facilis inscriptio antiquis notis accurate  
 expressis in Basileensi membrana servata praeclarum do-  
 cumentum praebet studiorum rei epigraphicae eius aetatis,  
 insignis tituli primum exemplum e lapide descriptum  
 est, et qua alterum apographum confectum et cum arche-  
 typo collatum. Prioris exempli e lapide excepti tempus  
 est prorsus ignotum; exemplum Basileense litterariis stu-  
 diis monachorum sectae Alcuiniana adtribuendum suadent  
 scriptura saeculi fere noni et origo codicis e bibliothecis  
 monachiorum, quae in Helvetia Carolino aevo floruerunt.

4. TITVLVS XANTHIPPÆ IN CODICE EINSIDLENSI. Supra (p. 13)  
 dixi in codicis Einsidlensis f. 104' spatium, quod vacuum  
 supererat, manu saeculi circiter decimi vel undecimi im-  
 pletum esse eleganti epigrammate sepulcri Xanthippae puel-  
 lae, loco minime indicato. Idem monumentum post renatas  
 litteras Cyriacus aliique plurimi viderunt Parmae: tabula  
 erat marmorea quadrato foramine pertusa; quare vv. 10-14  
 plures litterae perierant et suppletæ sunt coniecturis, quas  
 codicis Einsidlensis integrum exemplum refellit<sup>1</sup>. Quoniam  
 nulla loci causa est, cur in tanta veterum epigrammatum  
 multitudine solus Parmensis lapis transalpini scriptoris ocu-  
 los mentemque ferierit, clare patet Xanthippae titulum ob  
 carminis elegantiam ab eo delectum esse, et excerptum vel  
 e sylloge inscriptionum circumpadana et subalpina simili

*Cod. Einsidl. f. 104'*

D . M . XANTHIPPES · SIVE ·  
 Dolee · Cassius · Iulianus · Alūne ·  
 dulcissimæ · seu Mortis · miseret ·  
 seu · tē · vitæ · perlege nōmen ·  
 Xantippe · IALALEA · Eadem · LVDIC  
 RO QVOT · EXSPIMENS · DOLŌRE · FUGIT · ANIMA · CORPŌRE · HIC · CONQVI  
 ESCIT · CVNIS · TERRE · MOLIBVS · QVAM ·  
 TRINO · ANNŌRV · FĪLO · PTERREN  
 TIA · NOVEM · POST · mēnsēs · FATA ·  
 CONFICIVN · MALOLUES · IGNITA ·  
 TORRET · VLTRA · QVOT · DIĒS · VENVS  
 TA · AMŌENA · INTELLEGENS · ET · GARRV  
 LA · QVASIQVA · PIETAS · INSISTAT · CÆLESTI  
 BVS · VIVENTI · INGENIO · SŌLI ·  
 ET · LVCI · REddite Altōris · memo  
 rem · quē · PARENTĒS · DIXERANT · CŪ ·  
 PRIMŪ · NATVS ē · LVCILIANŪ · CASSI  
 VM ·

illi, de qua supra p. 37, vel ex ipsis schedis alicuius rei  
 epigraphicae studiosi, qui in Italico itinere antiquis litteris  
 scripta monumenta maiori industria in pugillaria retulerat,  
 quam docti homines saeculorum XV et XVI. In Parmensi  
 enim lapide apices supra vocales litteras incisos hi negle-  
 xerunt: contra antiquus ille orthographica huiusmodi si-  
 gna memorabili exemplo adnotavit. Apographum quidem  
 Einsidlense non omnes apices suis recte locis exhibet: eos-  
 que linea parum vel minime obliqua delineatos a signo  
 suppressae litterae *m* aegre discernes. Praeterea litterae  
 minores vulgares quadratis sunt admixtae: defunctae no-  
 men Iaia et alia vocabula studiose corrupta. Sed ple-  
 raeque litterae quadratae sunt; plerique apices propriis  
 locis, puncta pleraque antiqua forma recte appicta (ea co-  
 dicis scriptor saepe male geminavit), in versuum fine octies  
 ad fidem lapidis ommissa: ipsas litterarum contignationes ab  
 eo qui lapidem vidit neglectas non esse vv. 8, 11 cum  
 antiquo titulo collati monent. Haec praeclara indicia sunt  
 archetypi exempli fideli pro ea aetate veteris monumenti  
 imitatione confecti, et manifesta errata (v. 2, 6, 9, 14)  
 apographi scriptori imputanda suadent. Lectio vero non-  
 nullis locis difficilioribus, utrum prioris an alterius antiqua-  
 rii arbitrio reficta sit, incertum. Sequuntur apographa duo;  
 alterum a me e codice Einsidlensi<sup>1</sup>, alterum e lapide a  
 Bormanno descripta.

*Lapis in museo Parmensi*

	D	M
	XANTIPPES · SIVE · IAI <sup>a</sup>	
	C · CASSIVS · LVCILIANVS	
	ALVMNAE · DVLCISSIM <sup>a</sup>	
5	SEV · MORTIS · MISERET · SEV · TĒ · VITĀE · PERLIGE	
	NOMEN · XANTIPPE · IAIA · EADEM LVDICŌ	
	QVOT · EXPRMENS · DŌLORE · FVGIT · ANIMA · CORPORE	
	HIC · CONQVIESCIT · CVNIS · TERRAE · MOLLĪVS	
	QVAM · TRINO · ANNŌRV · FĪLO · PROTERENIA	
10	NOVEM · POST · MĒNSVM · BATA · CONFICIV · M <sup>a</sup>	
	LVES · IGNITA · TORRET · VLTRA · QVOT · DIĒS	
	VENVSTA · AMŌENA · INTELLIGENS · ET · GARRVLA	
	QVAM · SIQVA · PIETAS · INSISTAT · CÆLESTI · BVS	
	VIVENTI · INGENIO · SŌLI · ET · DIXERANT · CŪ ·	
15	ALTŌRIS · MEMOREM · QVEM · PARENTĒS ·	
	CVM · PRIMVM · NATVST · LVCILIANV	
	CASSIVM	

<sup>1</sup> Ex eodem codice Mommsen in *Rhein. Mus. n. F.* IX p. 296, 297; v. 6 QVOD, DOLOREM: apographum meum ad ipsam codicis scripturam est diligenter expressum.

<sup>1</sup> V. Cyriaci, Nova fragm. p. 24 n. 43; Grut. 660, 1; Burman. Anth. Lat. IV, 323; Affo, *Scritt. Parm.* p. IV; de Lama, *Iscr. collocate nei muri della scala Farnese* p. 119; Meyer, *Anthol.* II n. 1586: codicum saeculi XV et XVI plenam bibliographiam dabit Bormannus in *C. I. L.* XI n. 1118. Lapis nunc servatur in museo Parmensi.

V. 2, 5 sive codicis Eins. scriptor sive ipse exempli auctor Iaiaam, agnomen Iudicrum, mutavit in Ialeam, Ialaleam: erroris causa fuerunt v. 5 vocabula IAIA EAEDem (eidem) minime intellecta, et prava emendatione reficta IALALEA EaDEM — 8 MOLIBVS ex ipso lapide, neglecta contignatione litterarum IB — 10 MENSVM minime intellectum mutatum in *menses* — 14 item INSITAST mutatum in INSISTAT — 15 littera nescio quae in apographo male abundans deleta.

5. EPIGRAMMA SYMMACHI ROM. PONT. E SCHEDIS FVLVII VRSINI. Mamachus, *Antiq. Christ.* 1 ed. II p. 237, et Marinus, *Inscr. Chr. ms.* p. 59, 8 (Mai, *Script. vet.* V p. 148, 4) sequens tetrastichum descripserunt litteris quadratis ex apographo Terribilini, repertum a Petro Pollidoro in Fulvii Ursini schedis nobis ignotis. Compendia vocabulorum in v. 1 et 4 a Marino servata certo indicio sunt, non ipsum archetypum titulum quadratis litteris, sed eius apographum minori scriptura, quemadmodum illud ego proponam, in vetere membrana vel charta exaratum Fulvio Ursino innotuisse. Quare locum ei dandum censeo inter fragmenta et indicia codicum, in quibus tituli sive Christiani sive ethnici descripti olim sunt. Prima Ursiniani apographi origo valde antiqua carminis argumento enarrato manifesta fiet.

Martirib. scis Proto pariterq. Hiacynto

Simmachus hoc parvo veneratus honore patronos

Exornabit opus sub quo pia corpora rursus

Condidit his aevo laus sit perennis in òni

Tituli sinceritatem et apographi fidem epigrammatis stilus, pronuntiationis et scripturae saeculo sexto convenientium proprietates (*beneratus, exornabit*), historiae testimonium luculenter declarant. Auctor enim libri pontificalis ipsa fere Symmachi aetate scripsit: *confessionem sanctorum Proti et Hyacinthi* (Symmachus) *ex argento ornavit pens. libras XXX*<sup>1</sup>. Argenteae laminae horum martyrum sepulcris *exornandis eorumque corporibus rursus condiendis* (id est altero stratu operiendis) a Symmacho adhibitae (a. 498-514) bello certe Gothico (a. 537) hostium *praeda fuerunt*: nam *in sanctorum tumulos* Salaria praesertim via, qua parte Urbs a Vitige obsessa est, *praedam a furente exercitu actam* vetus inscriptio testatur<sup>2</sup>. Utrum ipsum quoque Symmachiani ornamenti epigramma tum perierit, et qua via eius apographum ad nos pervenerit, inquirendum. In libellis itinerariis et epigraphicis de suburbanis martyrum monumentis, qui post saeculum sextum compositi sunt, plures titulos in Proti et Hyacinthi crypta descriptos comperimus; nempe Damasi et eius aequalis Theodori presbyteri positos saeculo quarto, Leopardi presbyteri eodem exeunte saeculo vel ineunte quinto (v. supra II, 72, 73; infra VIII, 41, 58): Symmachiani carminis in his

libellis vestigium nullum. Cuius rei causa fortuita quidem esse potuit. Probabilius autem est Symmachi epigramma, quum alia carmina et ipse Leopardi brevis titulus metro carens in crypta Proti et Hyacinthi martyrum studiose exciperentur, ideo esse praeteritum, quod iam tum minime extabat. Quae si vera sunt, ut verisimilia, apographum a Fulvio Ursino repertum necesse erit propagatum censerit ab exemplo confecto ante medium fere saeculum sextum. Ea aetate epigrammata Christianis Urbis Romae monumentis inscripta chartis mandari iam coeperant, et in longinquis etiam terris imitanda proponi: id nos Africa docuit. Symmachianum carmen non eius generis est, quod a similibus seiunctum singulari de causa et peculiari studio descriptum esse probabile sit: eius apographum in Fulvii Ursini schedis a Pollidoro repertum meo iudicio fragmentum erat syllogae antiquissimae similis Einsidlensi parte priore. Petrum Pollidorum Antonii Bossi et aliorum scripta autographa nemini haecenus nota et sincerissima felici industria conquisisse comperi. Minime igitur mirum ei obtigisse, ut schedam Fulvii Ursini anecdotam viderit et cum Terribilino communicarit. Huius apographum in schedis Casanatensibus et Vaticanis frustra quaesivi<sup>1</sup>: doctissimi viri scripta multa perierunt vel latent: neque dubium est quin Symmachianum carmen ille probaverit, quum Mamachio dederit, unde et Marinus accepit comprobavitque.

6. TITVLVS LVSSOIO ET BRICIAE DEDICATVS E CODICE LVXOVIENSIS. Iam titulorum recensenda sunt apographa, quae singillatim, neque e syllogis excerpta, sed peculiari de causa vel occasione oblata ex ipsis lapidibus descripta in antiquis libris interdum occurrunt. Huius generis multa nobis ignota esse minime dubitandum: quis enim praestare possit omnes omnis litteraturae codices, quibus unus aut alter forte fortuna titulus appictus est, a se visos esse et excussos? Ergo pauca quae sequuntur exempli instar sint; et bibliothecarum custodibus incitamento ad similia, quae latent, conquirenda atque evulganda.

In tabulis auctionariis editis Londini a. 1859 hoc titulo: *Catalogue of the extraordinary collection of splendid manuscripts etc. formed by M. Guglielmo Libri*, legitur n. 495: *Homiliae ss. patrum in evangelia IV, folio saec. VIII*. Huius codicis f. 10 antiqua manus adnotavit quae sequuntur: ea delineata exhibentur in catalogo s. s. tab. XIII; auctionarii indicis auctor scripta affirmat saeculo nono; litterarum formae videntur saeculi undecimi.

Has litteras in lapidibus scultas  
ita invenimus extra positas . . .  
Luxovio Et BRICIAE .G. IVL.  
FIRMAR. IVS. V. S. L. M.

<sup>1</sup> Ios. Marchi, *Monum. primitivi delle arti crist.* p. 246 de Terribilini apographo loquutus est, tamquam illud extaret in bibliotheca Casanatensi. Id mera coniectura scripsit: Symmachianum carmen Marchius a me accepit, ego e Mamachio et Marino desumpsi.

<sup>1</sup> Lib. pont. in Symmacho § VI.

<sup>2</sup> V. infra VII, 29; VIII, 90.

Codex fuit monasterii Luxoviensis: inde hunc titulum superiore saeculo ediderat Caylus, *Recueil d'antiquités* III p. 366 (= Orelli n. 2024): ceteros editores Gallos recentius nuper E. Desjardins (in *Bull. monum. par Léon Palustre* XLV p. 645). Hic collata inscriptione Luxovii reperta a. 1779, quae etiam nunc extat, decorum nomina emendanda monuit LVSSOIO ET BRICIAE: in v. 2 Orellius FIRMAR · IVSSV, Desjardins em. FIRMANVS · Luxoviense monasterium Columbanus instituit a. 590 loco aquarum salutarium thermarumque celebritate insigni: tituli Lussoio et Briciae in lapidibus extra (monasterium) positus dedicati, antiquam loci religionem testabantur, unde nomen thermis et monasterio inditum. Qua de causa et pluribus huiusmodi titulis unum Luxoviensis monachus voluit memoriae mandare.

7. TITVLVS LVCOFERONENSIS E CODICE FARFENSI. In codice Vaticano 6808 post Ordinem Farfensem a Guidone monacho scriptum saeculo XI, f. 113 inter alia diversi argumenti nullo appicto loci indicio legitur:

M · SIL · J · OE · P · APHRODITO PATRONO SEVIRVM · AVG MA  
GISTRO · IVVENV · ITERVM IVVENES · LVCO FERONENSES ·  
PATRONO · OBMERITA · QVOD AMPITHETRV COL IVL ·  
FELICI · LVCO · FERS · P · F · DEDICAVITQVE L · D · D · D · H · C · I · R ·

Insignem hunc titulum e Vaticanis pluteis edidit Holstenius ad Cluverii Ital. p. 61; omissis singularibus litteris postremo loco adscriptis H · C · I · R ·, quae genuinae notae sunt formulae solemnem *Honore Contentus Impensam Remisit*. Ab Holstenio pendet Fabrettus 106, 251; Alerius Symm. Mazochi, De amphith. Campani titulo p. 78; Morellus, De stilo ed. Rom. p. 313; Orellius n. 4099. Quam Holsteniani apographi origo et aetas essent ignotae, de eius sinceritate est dubitatum (vide Mommsen in *Rom. Feldmesser* II p. 213; Lanciani in *Bull. dell' Ist.* 1870 p. 29). Nunc agnita Holsteniani apographi antiquitate et genuinis notis ab Holstenio omissis in calce tituli restitutis palam fit titulum esse sincerissimum, inscriptum basi statuae M. Sili Epaphroditi, qui AMPHITHEATRVM COL(oniae) IVL(iae) FELICI(s) LVCOFER(onensis) S(uae) P(ecunia) F(ecit) DEDICAVITQVE. De coloniae Lucoferonensis origine et nominibus hoc solo monumento notis et de eius situ in territorio Capenatium in C. I. L. volumine XI exponendum. Unum notabo ab huius operis materia haud alienum. Christianum epitaphium e lapide invento anno 1493 apud Lucum Feroniae Fr. Stephanus Bayoti descripsit in appendice codicis Marcanovani, qui servatur Genuae in bibliotheca Civica Beriana f. 148':

Hic requiescit in pace u. carn Vigilia L · F · quae  
vixit an. XXIV deposita est sexta decima  
Kalendas Februarias. positus, titulus a dulciss.  
Vigilio V · L · consuli Marciano · V · C ·

Marciani solius consulatus designat annum 469 (v. commentarium 825, tomo I). V · L formula et notae in pace u. carn (universae carnis?) singularis exempli sunt, neque facile recipiendae. Ut v. 4 consuli apographi vitio scriptum est male explicata nota CONS., sic ante cognomen Vigilia alterius cognominis vel nominis litteras corruptas reor, et restituendum. IN PACe EVCARIA (Eucharria) etc. Notae L · F ·, V · L · (laudabilis femina, vir laudabilis) municipales magistratuum et decurionum honores significant. Luci Feroniae nomen incolarum traditione inditum loco, ubi hoc epitaphium repertum est a. 1493, Vigiliam laudabilem feminam et Vigilium virum laudabilem Lucoferonensibus adsignat: quae si vera sunt, ea civitas saeculo quinto nondum erat extincta. Lacum sub colle, cui nunc nomen Civitucula, in agro Capenate ante saeculum XVIII Ferone accolae appellabant (v. Galletti, *Capena municipio dei Romani* p. 3). Farfensis coenobii patrimonium late patebat a Sabinis ad fines Capenatium. In celeberrimo illius monasterii Regesto (cod. Vat. 8487) f. 186' donatio legitur facta Tibure anno 1003 fundorum, quorum pars erat prope civitatem Tiburtinam, pars trans fluvium Tyberim. Flumen ripa dextera contra territorium Tiburtinum alluebat agrum Capenatem. Inter fundos Farfensi coenobio adsignatos trans fluvium Tyberim fuit terra sementaricia ad modium unum in loco qui vocatur amphitheatrum (sic). Notanda scriptura vocabuli amphitheatrum, quemadmodum in titulo M. Sili Epaphroditi monachus scripsit. Cuius statuae inscriptio in Farfensem codicem relata ad locum iuris eius coenobii videtur pertinuisse. Verum in actis Tiburtinis saeculo XI Tiberis nomine Anio solet significari. Quare utrum donatio facta a. 1003 de Capenatium, an de Tiburtinorum amphitheatro interpretanda sit, eius regionis topographi et historici definient.

8. TITVLI VARI VARIIS DE CAUSIS SINGILLATIM DESCRIPTI. Titulos, quos veteres praesertim Christiani scriptores historici, actis pontificum, sanctorum, illustrium virorum et cuiuscumque argumenti libris inseruerunt, in censum eorum de quibus nunc sermo est minime venire nemo non intelligit. Sunt tamen similis vel incerti generis nonnulla, quae huic loco videntur apta et cum huius capitis enarratione connexa. Ea summam commemorabo.

9. PITTACIVM AQVISGRANENSE. Pittacia sanctorum reliquiis coniuncta antiquiore aetate non nuda tantum nomina, sed ipsos quandoque titulos exhibebant sepulcrorum, unde illae reliquiae erant extractae. Cuius moris praeclarum documentum repertum est a. 1878 in basilica Aquisgranensi. Aperta scilicet theca reliquiarum Spei episcopi, in lucem rediit schedion membranaceum in quo manu saeculi circiter noni exaratus erat titulus illius episcopi sepulcro olim inscriptus; isque etiam nunc conspicuus est prope Spolegium<sup>1</sup>.

<sup>1</sup> V. Bull. crist. 1871 tab. VII.

In scheda praeit epitaphium Tullii Anatolii Artemii clarissimi pueri vita functi anno 384<sup>1</sup>: cuius sepulcrum ad caput monumenti Spei episcopi collocatum videtur fuisse; sic unus et alter titulus e lapidibus simul excepti sunt et in pittacio alterum sub altero delineati. Itaque, quum saeculis VIII et IX sanctorum sepulcra aperiri coepta sunt, inscriptionum habita ratio est; easque placuit loco haud moveri<sup>2</sup>, quin imo describi et in pittacia referri, quae cum sacris lipsanis conderentur. Pittacii Aquisgranensis ectypon dedi in *Bull. crist.* anni 1878 tabula XI; neque illud iterum hoc loco proponam. Animadvertendum autem est in epitaphio anni 384 singula fere vocabula interpuncta fuisse hederis distinguentibus, singulos fere versus signis cruciformibus †, X, P, ✠. In v. 1 litterae tres perierant ita ut litterae A altera lineola obliqua sola supereset. Haec omnia pittacii scriptor delineavit; versuum licet divisionem minime servaverit. Quare non sine causa supra (p. 18, 1) dubitavi, utrum eiusmodi signa in antiquioribus syllogis spreta sint proposito eorum, qui primi e lapidibus titulos in schedas et pugillaria retulerunt, an negligentia amanuensium, quorum repetitae communibus litteris editiones ad nos pervenerunt. Unica certe scheda autographa ad hanc diem nota primi testis, qui ante saeculum decimum lapidem ipsum descripsit, multo accuratior est apographis, quae eiusdem aevi libri exhibent. Conferenda quae dixi (p. 41) de apicibus, interpunctionibus aliisque rebus minimis in singulari tituli Parmensis exemplo ad calcem codicis Einsidlensis adscripto.

10. TABULA GRAECA PRAEDIORVM COENOBII S. HERASMI IN REGESTO SYBLACENSI. Praedia ecclesiis et coenobiis donata et sacri patrimonii census marmori inscribi, saeculo fere sexto vel septimo Romae institutum. Marmoreas has tabulas, quemadmodum papyracea in tabulariis servata instrumenta, scriniarii attente perlegebant; et graece scriptas in latinum vertebant, ut *regestis* insererentur. Sic in Regestum Sublacense saeculi undecimi f. 165 relata est graeca tabula lapidi incisa praediorum monasterii s. Herasmi in Coelio monte, latina interpretatione subiecta. Eam ediderunt e marmore Fabrettus p. 757, 629; e Sublacensi codice Amadutius, *Anecdota litt. Rom.* IV p. 543; deinde alii. Monumenti incerta aetas mihi videtur definienda annis 676, 677, sedente Adeodato pontifice. Quamquam hoc tempus praefixos operi meo fines excedat; Herasmianam tamen tabulam extra ordinem suo loco proponendam censeo. Tum de eius historia, interpretatione et de Sublacensi apographo dicam.

11. EPIGRAMMATA SEIVNCTA A SYLLOGIS ET ANTHOLOGIS. Epigrammata e monumentis ut plurimum Christianis, seorsim a syllogis et anthologiis, singillatim exarata et in varii argumenti codicibus saeculo duodecimo antiquioribus iden-

tidem obvia fere semper pendent a libris nobis notis; praesertim a syllogis et anthologiis, ad quas illa capite altero et tertio revocabo. Sunt tamen huius generis pauca plane singularia, quorum hoc loco facienda mentio est.

12. CARMINA CONSTANTINAE ET DAMASI IN CODICIBVS PRUDENTIANIS ET PARISINO SINGVLARI. Acrostichidem inscriptam absidi aedis a Constantina aedificatae in honorem Agnetis martyris, huiusque elogium a Damaso confectum multi Prudentii codices post hymnum de s. Agnete, et singularis codex Parisinus servarunt. Cur in syllogis inde a saeculo septimo haec carmina desiderentur, iam innui in commentario de musivo absidis s. Agnetis via Nomentana<sup>1</sup>; nunc plenus exponam. Eam basilicam Honorius I (a. 626-38) a solo restituit<sup>2</sup>; absidem, arcum, altare titulis metricis decoravit. Honorii carmina in septimi saeculi syllogis descripta, Constantinae et Damasi in iisdem omissa significant novum opus in causa fuisse, cur Honoriani tituli in antiquiorum locum substituèrentur. Imo iam saeculo fortasse sexto ineunte Constantinae acrostichis absidi appicta perierat. Eam enim absidem Symmachus (a. 496-514), quod ruinam minabatur, renovavit<sup>3</sup>. Haec igitur carmina ex ipsis monumentis ante septimum certe saeculum, facile ante sextum vel eo ineunte excepta Prudentii hymnis Peristephanon nescio quis subiungenda curavit. Is non fuit *Iso magister*, qui saeculo nono Prudentium scholiis ornavit. Codex Isona multo antiquior olim Bobiensis, nunc Ambrosianus (D. 36 sup. f. 18) saeculi septimi Constantinae et Damasi carmina exhibet. Antiquissimus vero Prudentii codex Parisinus adnotatus a Basilio Mavortio consule anno 527, et auctus Anonymi carmine contra Nicomachum Flavianum<sup>4</sup>, in hymnis Peristephanon mutilus est. Praeter Prudentianos alter diversi plane generis codex Parisinus (olim s. Germani 1309) manu saeculi octavi Constantinae et Damasi carmina exhibet f. 78 hoc modo<sup>5</sup>:

### REQUERE-ORDINĒ . HISTORIĒ

Constantina itaque augusta cum esset prudentissima et vehementer litteris mundialibus erudita hos versiculos in dedecatione basilicae dictavit et super archum qui basilicam continet iussit scribi ita ut capita versuum nomen eius scribant singulis litteris primis intentis quibus legitur CONSTANTINA D̄o.

Constantina d̄m venerans Xp̄oque dicata  
Omnibus impensis devota mente paratis  
Nomine divino multumque Xp̄o iubante

<sup>1</sup> In opere cui titulus: *Musaei delle chiese di Roma*, cuius singularae tabulae proprio commentario sunt instructae.

<sup>2</sup> Lib. pont. in Honorio § III.

<sup>3</sup> Lib. pont. in Symmacho § XII.

<sup>4</sup> V. *Bull. crist.* 1868 p. 51.

<sup>5</sup> Huius codicis primam notitiam edidi a. 1858 in Dominici Bartolini v. em. *Atti di s. Agnese* p. 103, 104; Constantinae acrostichidem ex eodem codice proposuit Garrucci, *Arte crist.* I p. 447, 448.

<sup>1</sup> V. *Bull. crist.* 1878 p. 153-158.

<sup>2</sup> Cf. *Bull. crist.* 1876 p. 126 et seqq.

Sacravi templum vitricis virginis Agnes  
 Templorum quod vincit opus terrenaque cuncta  
 Aureique rutilant summi fastigia tecti  
 Nomen enim Xpi celebratur sedibus istis  
 Tartarea solus potuit qui vincere mortem  
 Invictusque caelo solus ferre triumphum  
 Nomen adde referens et corpus et omnia membra  
 A mortis tenebris et caeca nocte levata  
 Dignum igitur munus martyr devotaque Xpo  
 Ex opibus nis per saecula longa tenebis  
 O flex virgo memorandi nominis Agnes.

ITĒ SCI·DAMASI EPI·URBIS ROMAE

Fama refert SCΦS dudum reparantes  
 Agnen cum lucubris cantus tuba concēpisse  
 Nutricis gremium subito liquisse puellam  
 Sponte trucid calcasse minas rabiemque tyranni  
 Urere cum flammis voluisset nobili corpus  
 Viribus immensum parvis superasse timorem  
 Nudaque persusum crimen per membra dēdisse  
 Ne dñi templum facies peritura videret  
 Quenerandum mihi decus alma podoris  
 Ut Damasi praecibus faveas praecor inclyta martyr.

Parisino fragmento Prudentiani codices variant in ver-  
 bis priori carmini praescriptis, quae sunt huiusmodi: *Versus  
 Constantinae, Constantini filiae, scripti in absida basilicae,  
 eam condidit in honorem s. Agnes (vel Agnae)*. Versuum  
 tamen corruptelae demonstrant utriusque recensiois ean-  
 dem originem esse; et eam, quae in Prudentianis codici-  
 bus legitur, ad prima e monumentis apographa propius ac-  
 cedere. Sic in Constantinae carmine versum 10 omnium  
 corruptissimum plerique Prudentii codices item male mul-  
 tum exhibent; in quorum tamen uno et altero verae le-  
 ctionis pressa vestigia et ipsa vera lectio deprehenduntur:  
 nampe in Ambrosiano *Nomen ad vere ferens*, in Vaticano  
 5821 (saeculi IX vel X) *Nomen Adae referens*. Similiter  
 in Damasi carmine v. 1 lapis DVDVM RETVLISSE  
 PARENTES; Prudentiani codices litteras inter RE et  
 PARENTES varie deformant; Parisinus e codice, ubi  
 deformatae litterae suppressae erant, sublata lacuna, *re-  
 parantes*. Varietates omnes suo loco diligenter recensebo:  
 et utriusque carminis sincera lectione proposita eam iu-  
 sto commentario illustrabo. Lemma praefixum fragmento  
 codicis Parisini indicat ei locum in *ordine historiae* esse  
*quaerendum*. Sane verba *Constantina itaque augusta cum  
 esset prudentissima* connectenda sunt cum Actis s. Agnetis,  
 quorum vulgata recensio subscripto nomine Ambrosii ha-  
 bet: *erat ipsa Constantia regina virgo prudentissima*<sup>1</sup>.  
 Parisinum fragmentum aliam eamque antiquiorem recen-  
 sionem respicit; in qua *Constantina* non *Constantia*, et  
*Augusta* non *regina* legebatur. Cui subnectenda erat ap-  
 pendix in codice Parisino servata. Huius auctor usus est

apographo carminum deteriore illis, quae in melioribus  
 Prudentii codicibus ad nos pervenerunt; iisdem tamen locis  
 corrupto, et eodem e fonte derivato. Prima igitur horum  
 carminum ex ipsis monumentis descriptio, actorum s. Agne-  
 tis scriptori adtribuenda non est: et secundum ea, quae su-  
 pra exposui, referenda erit ad tempora anno saltem 636,  
 fortasse etiam 514, antiquiora. Curiosus aliquis epigramma-  
 tum in Romanis basilicis lector Constantinae acrostichidem  
 et Damasianum elogium saeculo circiter sexto descripsit;  
 idemque vel alius quidam ex eius schedis (aut e sylloge,  
 cuius saeculo septimo nullus iam usus erat) ea carmina Pru-  
 dentii hymnis subiecit.

13. CARMEN DAMASI DE MARCELLINO ET PETRO HORVM MARTY-  
 RVN ACTIS INSERTVM. Carmen vero Damasi de Marcellino et  
 Petro ille ipse, qui horum acta scripsit, videtur e lapide  
 excepisse<sup>1</sup>. Epigrammata in id genus acta et in historiarum  
 libros relata ad huius capituli argumentum minime perti-  
 nent; iisque cum antiquioribus syllogis inscriptionum vel  
 nullus nexus fuit vel incertissimus. Est tamen, cur Dama-  
 sianum elogium in Marcellini tantum et Petri actis ser-  
 vatum heic nolim silentio praeterire. In coemeterio ad duas  
 lauros, ubi erat illorum martyrum sepulcrum Damasi ti-  
 tulo ornatum, repertum nostro saeculo est fragmentum  
 epigrammatis a Vigilio pontifice positi, quod testatur Da-  
 masianum titulum marmore a Gothis (a. 537) diffracto pe-  
 riisse. Fortuito ergo casu minime accidit, ut sola martyrum  
 acta, nullae vero saeculis septimo et sequentibus confectae  
 epigraphicae syllogae Damasianum Petri et Marcellini elo-  
 gium exhibeant. Qua observatione collata cum iis, quae de  
 carminibus basilicae s. Agnetis supra dixi, intelligimus ve-  
 terum urbanarum syllogarum auctores neque poetarum ne-  
 que *passionum* libros compilasse, sed ex ipsis lapidibus, vel  
 ex antiquioribus syllogis, quae e lapidibus pendebant et in-  
 promptu erant, titulos et carmina collegisse.

14. CARMEN DE AEDE SACRA IN VETERE CIRCO ET FERALIVM  
 EPVLARVM LOCO CONSTRUCTA E CODICE PARISINO GLOSSARI SAE-  
 CVLI IX. In codice Lat. 7643 bibliothecae Nationalis Pa-  
 risiis ante glossarium saeculi IX, primae paginae spatio  
 vacuo, manu eiusdem fere vel paulo recentioris aetatis epi-  
 gramma exaratum est nullo loci praefixo titulo; quod scrip-  
 turae vitiis et omni genere corruptelae pessumdatum Ed-  
 mundus Le Blant, *Inscr. Chrét. de la Gaule* II p. 414  
 commemoravit tantum, neque censuit edendum. Ego quo-  
 que codice Parisiis inspecto barbarum carmen exscribere  
 neglexi: postea Le Blantium rogavi ut eius mihi accuratum  
 apographum conficeret: quo accepto, et eius emendatione  
 tentata, hunc illi locum dandum iudicavi. Peccata adversus  
 metri leges multo plura sunt, quam ut librario possint  
 cuncta imputari. Epigramma constabat hexametris, penta-

<sup>1</sup> Bartolini, l. c. p. 19.

<sup>1</sup> Acta SS. tomo I Iunii p. 173; Mazochi, Kal. Neap. II p. 495.

metris et heptametris ad veras syllabarum quantitates minime exactis. Rudium huiusmodi *quasi versuum* inde a saeculo tertio in monumentis et libris exempla suppetunt

multa et notissima. Quare codicis lectionem, et ex adverso carmen *quasi versuum* ritu a me coniectura restitutum proponam.

A W  
H

Hic inhumata pridē carpenta  
lapsa iacebant. arida. comine  
xis frustris et atRtratis. huc cer  
nebam' amplas cuneis fluxare  
catvas. Rorare caducū. fuso.  
5 falerno limū. Stolda pesi. litabant  
vota favillis. Statque. femineo lāpas  
funestator. Post mancipatura. ar  
vis. umbrisq. trudit<sup>a</sup> immis quo fu  
10 nus squalēbant aras sacra micat.  
hanc tibi x̄ps aedē parat en grā  
Prisciq. quā vulneris guttis abluas  
alma rubris. Eusebius invexit  
hinc te beata sacerdos TRCN.  
15 MTR. currens ab arce polis. cul  
mine. mira. notaq. quisq. p̄spi  
cis. intrans. nec ope levitae milēx  
dedicata meli dō grās

+

A W Hic inhumata pridem carpenta lapsa iacebant  
Comesis frustis arida et atra satis.  
Huc cernebamus amplas cuneis fluxare catervas  
Rorare caducum fuso falerno limum.  
5 Stolda peresis litabant vota favillis  
Stabat femineo lampa(s) funesta toro.  
Post mancipatur sacris umbraeque trudentur in imis  
Funera quo squalēbant ara sacrata micat.  
Hanc tibi Christe aedem parat en quam gratia prisci  
10 Vulneris guttis abluat alma rubris  
Eusebius invexit hinc te beata sacerdos  
Altithroni mater currens ab arce poli.  
Culmine mira novo quae quisquis perspicias intrans  
Haec ope levitae discē dicata Meli.

Hoc memorabili sane carmine circus describitur, cuius arena carpentis (id est bigis, quadrigis) iacentibus et in frustra discerptis erat conspersa. In eundem locum populus confluere assueverat, ut toralibus accumberet, ferales epulas celebrans (v. 5, 6), mortuis litans et vina fundens, quibus circi *caducum limum* (id est solum maceris et ruina obrutum) *rorabat* (v. 4). Sane Feralia et Caristia (totius cognationis inferiae et cenae in honorem mortuorum), postquam omnis idololatria legibus interdicta erat, in Galliis haud desierunt celebrari: et quoniam ea mense Februario die 22<sup>1</sup> incidebant in festum cathedrae Petri apostoli, ille *dies s. Petri epularum* appellatus est<sup>2</sup>. Concilium Turonense a. 567 decretum sanxit adversus fideles, qui eo die *cibos mortuis offerunt et sacratas daemonei escas accipiunt*<sup>3</sup>. Huius ipsius superstitionis delendae causa Eusebius, nescio cuius sedis episcopus, circum, quo feralibus epulis celebrandis populorum *cunei* conveniebant, in aedem Christo sacram mutare aggressus est; eamque *ope Meli(?) levitae* ad *culmen* perduxit, et dicavit *insecta beata* (id est eius reliquiis), cuius nomen versu 12 sive scriptum sive indicatum apographi vel ipsius monumenti lacuna partim deletum librarius assequi haud potuit. Litteras, quae supererant, ille quadratis extra ordinem formis expressit: TRCN · MTR. Alterius vocabuli obvia restitutio (MaTeR) monet, quinam in priore vocabulo quaerendus sensus sit; nempe Dei, Domini, Christi. Quem quum Venantius For-

tunatus aliquē saeculi sexti poetae saepe altithronum appellarint, supplendum censeo *altithRONi*. De reliquiis *Domnae Mariae* Virginis, id est e sepulcro eius Hierosolymitano saeculo iam fere sexto altarium dedicationi in toto Occidente adhibitis monumenta proximis annis reperta nos docuerunt<sup>1</sup>. Cui loco et civitati, opinor, Galliarum hoc epigramma sit adtribuendum, fateor me ignorare. Cumi glossario saeculi noni, in cuius fronte alia manu adscriptum illud est, nulla ei intercedit affinitas.

15. INDICIA IN ANTIQVIS CODICIBVS AD REM EPIGRAPHICAM ALIQUO MODO PERTINENTIA. Ne quid heic desit, quod ad rem faciens cuiquam possit videri, quaedam ludicra extremo loci paucis commemorabo. Testamentum M. Grunnii Corococtae porcelli, et Pascutii Cutilae instrumentum venditionis a Gratero recepta in thesaurum inscriptionum, sed inter spuria (p. 18) antiquis libris tradita feruntur; praesertim testamentum porcelli in saeculi noni codicibus obvium, et Hieronymi aetate vel pueris notum<sup>2</sup>. Tappulae legis iocosa convivalis veteres satirae meminere; eius fragmentum nuper repertum est Vercellis aeri incisum litteris elegantissimis<sup>3</sup>: unde discimus huiusmodi lusus iusto titulorum ritu fictos olim esse et parietibus affixos. Verum quum Hieronymus testetur porcelli testamentum pueros cachinnantes in scholis decantasse, nulla causa est, cur eius et similium iocorum apographa ab aeneis marmoreisque tabulis in codices relata existimemus, neque potius manuscriptorum

<sup>1</sup> V. Mommsen, C. I. L. I p. 386.

<sup>2</sup> V. Bull. crist. a. 1867 p. 41.

<sup>3</sup> Concil. ed. Mansi IX p. 790.

<sup>1</sup> V. Bull. crist. a. 1872 p. 155-158, 1878 p. 38-41.

<sup>2</sup> Praef. in lib. XII comm. in Isaiam; et Contra Rufinum I, 17.

<sup>3</sup> V. Bruzza et Mommsen in Bull. dell' Ist. arch. 1882 p. 186-189.

exemplarium traditione ad saeculi noni antiquarios et ab eis ad nos pervenisse. Ego nullum novi huiusmodi lusuum vetus exemplum cum syllogis epigraphicis, vel earum quoniam indicio coniunctum ante saeculum XV et XVI.

Ceterum porcelli quidem testamentum antiquum est. Praeter libros a philologis iam excussos<sup>1</sup> codicem citabo saeculi IX Vaticanum Palatinum 57; in quo ad calcem epistolarum Pauli apostoli f. 163<sup>r</sup>, 164<sup>r</sup> alia manns, saeculi facile decimi, ludici illius testamenti acta descripsit signata CIMINATO ET PIPERATO CONSVLIBVS<sup>1</sup>. Instrumentum vero Pascutii Culitae, quamquam a Grutero et in codice veterum inscriptionum, quem Arretii Lamius vidit<sup>2</sup>, ex membranis mirae vetustatis exceptum dicatur, et a doctissimis iurisconsultis laudetur<sup>3</sup>, lusum est recentioris aetatis: auctorem Antonius Augustinus prodit Iovianum Pontanum<sup>4</sup>.

<sup>1</sup> V. Haupt, Opuscula II p. 175 et seqq.; Hagen, in Philologi vol. XXXI p. 182; Buecheler, Petronii Satirae Berolini 1882 p. 241. Ioannes Metellus, cod. Vat. 6089 f. 208<sup>r</sup> pendet ab exemplis typis impressis saeculo XVI.

<sup>1</sup> Cetera exemplaria cuncta: *Ciminato et Piperato consvlibus*.

<sup>2</sup> *Novelle Fiorentine* a. 1746 p. 721.

<sup>3</sup> Guiccius, *Observ.* VIII c. 14.

<sup>4</sup> Antonius Augustinus, *De ant. num. dial.* XI, 5, 6: cf. Zirardini, cod. Vat. 9142 p. 301.

## PRIMI CAPITIS SVMMA ET CONCLVSIO

His recensitis excussisque codicibus et membranis aevo Carolino et proxime sequenti aetate scriptis manifestum fit, plures et antiquiores eiusdem argumenti libellos periisse. Neque Einsidlensis, quam dicimus, sylloge solitarium opus fuit cuiuspiam, qui primus omnium unusque saperet et curaret quae ante eum suaque aetate nemo esset persecutus; vel singulari quadam curiositate litteratos lapides describere aggressus, cui bono id faceret et in incepto patienter perseveraret, ne ipse quidem satis sciret, tardis nepotibus et nascituris post multa saecula antiquitatum cultoribus profuturus. Fuerunt olim qui titulos monumentorum tum ethnicos quum Christianos, tum publicorum operum quum sepulcrorum, tum Romae quum tota fere Italia, imo et in Galliis et Germania, sive breves erant sive prolixi, attente legerent, perite describerent, in libros referrent; fuerunt qui ab aliis collectos exciperent, syllogarum exemplaria multiplicarent, conferrent, emendarent; ita ut unius Einsidlensis syllogae quattuor vetera apographa et una atque altera collatio iam innotuerint. Prima e lapidibus exempla quadratis saepe litteris et ad ipsas interdum earum formas expressis delineata esse luculentis indiciis agnovi: vocabulorum plerumque compendia et notas, interpunctiones nonnumquam et apices veteres illi in nostrae artis palestra praecursores observarunt. Nulla in antiquioribus, quas hoc capite exhibui, syllogis sive Christianarum sive metricarum inscriptionum cura praecipua; delectus vix nullus; in genera et classes distributio nulla: geographicis vero et topographicis ordinis vestigia multa. Peregrinantium maxime et περιηγητών, hominum minime rudium, hi prima origine videntur libelli fuisse.

De huiuscemodi libris periegeticis ad sepulcra martyrum suburbana sequenti capite dicam. Ante medium saltem saeculum septimum confici et vulgari eos coepisse iam liquet; ex quorum uno alterove excerpta topographica et epigraphica, neque haec tota Christiana, Einsidlensi syllogae sunt inserta. Eius vero syllogae partes mere epigraphicae, praesertim urbanae, et similium syllogarum non unum fragmentum pluribus conspirantibus indiciis ad antiquiorem aetatem mihi visa sunt referenda: titulum certe nullum exhibent sexto saeculo recentiore. Carolinae aetatis et Alcuiniana doctrinae alumni his syllogis usi sunt facile iam corruptis et perturbatis. Earum primi auctores e saeculi sexti et ineuntis septimi litterariis scholis prodire.

Haec in dies confirmantur titulis, quos Africa e basilicis saeculo sexto restitutis vel aedificatis in apricum profert. Anno 1879, medio fere itinere inter Thevestem et stationem Ad medias (*Henchir-Adjedj*) e ruderibus aedis sacrae effossa sunt saxa litterata, quae fragmenta esse agnovi epigrammatis in Einsidlensi sylloge 10 musivo olim opere inscripti absidi basilicae Vaticanae<sup>1</sup>. Ea sunt huiusmodi:

IVSTITIAE sedes fIDEI DOMVS aula pudoris  
QVAE PATris et filii VIRTVTIBVS Inclita gaudet

haec est quam cernis pietas QVAM POSIDET OMnis  
auctoremque suum genITORIS laVDIBVS Equat

<sup>1</sup> V. De Bosredon in *Rec. de la société arch. de Constantine* XIX p. 31; *Bull. di arch. crist.* 1879 p. 162, 163.